

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0695
	0693
	0699
	0689
122	
finitis venerunt Sarraceni et apertis ostiis nos ejecerunt. Ascedimus autem omnes simul in sanctum montem Syon et in loco, in quo S. Stephani corpus inventum locatum fuerat, Missam legi fecimus. De hoc loco vide fol. 100 B. Officiis finitis condiximus nobis, quod post prandium ad aliqua loca intra civitatem sanctam vellemus transire, in quibus nondum fuisset.	0704
Prandio finito convenimus in monte Syon et assumsimus nobiscum Calinum minorem, Elphahallo, et intravimus civitatem Jerusalem per portam sterquilinii vel stercorum, de qua fit mentio saepe in Scriptura, signanter Nehemiae 3. Dicitur autem porta stercorum ab antiquo et hodie, quia omnia purgamenta et simus per hanc exportantur, et contra vallem effunduntur, unde ex multitudine purgamentorum factus est cumulus sicut monticulus, (227 A) in tanta altitudine, quod supereminet muro civitatis in illa parte. Ingressi ergo venimus ad forum pecorum et deinde intravimus vicum quendam arctum, in quo residebant multi Christiani Nubiani, et illorum ecclesiam pulsavimus. Reserato autem ostio intravimus et orationem fecimus. Erat autem ecclesia satis magna, sed obscura, sicut omnes orientalium ecclesiae obscurae sunt et tenebrosae. Haec ecclesia stat in eo loco, ubi quondam stetit domus Mariae matris Johannis, qui cognominatur Marcus, ad quam Petrus per angelum de carcere eductus pulsavit. De quo habetur dulcis historia Actuum XII. Ab hoc loco consequenter progressi paululum ad aliam domum Christianorum orientalium venimus, et intromissi, ostenderunt nobis in curia domus cisternam, dicentes, quod sancto Thomae Apostolo ibi Christus apparuit. Dum enim vellet aquam haurire et stare in una parte cisternae, stabat Dominus Jesus in alia et praecepit sibi, ut iret in Indiam. Hanc historiam dicunt orientales ibi esse factam; sed legenda Lombardica dicit, hoc esse factum in Caesarea, et alii libri nostri. Deinde ad aliam domum venimus, ubi etiam erat ecclesia, in qua dicunt orientales christiani sanctos Apostolos, Jacobum et Johannem, fuisse natos, quia Zebedaeus pater eorum dicitur cum sua uxore habitasse [ibi], sed depauperati migraverunt inde in Galilaeam et ad mare Galilaeae pescatione se nutrierunt. Ideo dicitur	0684
	0744
	0644
	0794
	0594
	0194
	Ende
	Anfang